

mihî 39. uti, præter Dextrum, canit M. Maximus Episcop. Cæsaraugustanus in Hymno. Dextri verba sunt: *Prima totius orbis Aedes, erecta B. Virgini, Cæsaraugusta fuit. Post Praesules Tarraconensis, Hispalensis, Toletanus, & alii sacras Aedes vel oratoria Virgini dedicant.* Vides, nascente Ecclesiâ non tantum Cæsaraugustæ, sed & Tarracone, & Hispali erecta B. Virgini sacra delubra? At Cæsaraugusta, Taraco, & Hispali Australes sunt Hispaniæ Urbes. Addo denique non solum B. Virgine auspice Jacobum in Hispaniam advenisse, sed Christi & Mariæ gloria per universam hanc Provinciam, præsertim Australem, propagatâ, rursus S. Apollolum ad ipsam Virginem inde ab Australi Hispania fuisse Jerosolymam regressum; de rebus gravissimis (ait Dexter) consulitur B. Virginem. Nimirum Hispaniæ religio ad Deiparam maximè pertinebat. Ejus igitur auspiciis cæpta, ejusdem erat consilio, auxilioque promovenda. Audi Julianum Petri Archiepiscopyterum Toletanum in adversariis, numero 33. *Ab Apostolicis Temporibus maxima per Hispanias in B. Virginem devotio, & singularis amor; quam, cum in vivis esset, invocabant Peregrini quotannis cum muneribus; eratque frequentissima, celeberrimaque peregrinatio ex totius Orbis partibus ad eam. Præcipue Civitates hæc mittebant suos peregrinos: Tarraconenses, Pampilonenses, Barcinonenses; Idiensis, Cæsaraugustani, Bracharenses, Clunienses, Asturientes, Toletani, Emeritenses; quibus, eorumque Civitatibus Virgo sanctissima benedicens, & in suam tutelam recipiens, domos latos & devotos remittebat. Et in Chronico, Anno 36. de Jacobo Apostolo loquens: Cæsaraugustam ubi illi nocte oranti apparet B. Virgo super Columnam comitata Angelis, allato secum S. Joanne, individuo B. Virginis, dum vixit, comite; iustique ibi erigere in honorem suum Ecclesiam, & super Columnam illam altare; futurum pollicens mansuram præ cæteris Hispaniarum Civitatum devotionem B. Virginis, & Fidei sacra anchoram semper ibi inconcussam fore.*

Hispania religio ad Deiparam maximè pertinebat.

Julianus Petrus.

SECTIO XXVII.

Nobilissimum Dominica Passionis proventum extare Hispanorum conversionem, & eximiam religionem usque ad vitæ dispendium, probatur ex Isaia, & Joanne.

1558 **I**N primis præjectam Thesim inniti reor prælustri Isaia vaticinio, difficili planè, & quod Interpretes faciat abire huc, illic. Sic divinus ille Vates cap. 53. 9. *Dabit impios pro sepultura, divitem pro morte sua.* LXX. pro *divitem*, in plurali legunt, *divites*: atque ita etiam antiqui Patres, Chrysostomus, Tertullianus, Cyrillus, Procopius, & multi alii. Si *divitem* legas, divitem Populum, seu Gentem aliquam opulentiam insignem intelligas; nam sæpe singularis numerus pro plurali ponitur in litteris inspiratis, ut rectè Augustinus observat lib. 5. de Genes. ad litteram cap. 10. Verò enim, quoad verhorum sensum attinet, frequens est terè omnium veterum consensus, hic agi de impiis, atque divitibus, qui Christum damnarunt, affeceruntque morte Crucis ignominiosâ; prædicique, eos in fuorum hostium potestatem tradendos, ut de illis vindictam su-

mant. *Dabit itaque Deus impios, & divites, neci nimirum, & mille ærumnis, pro sceleribus, quæ in Christi morte, & sepultura patrarunt.*

1559 Sed illa mihi videtur magis expedita intelligentia, quæ ea Isaia verba capit, non de vindicta, sed de commutatione, & remuneratione; ita ut pro morte, quam acerbam tulit Christus, atque ignominiosam, subji-ciendos ei prædicat, adoptandosque in filios, impios homines, & vitæ profligatæ, qui nullo modo amplexuri videbantur Evangelium; pro morte, inquam, & sepultura divites signatim. Ita explicant S. Hieronymus in priori interpretatione, Haymo, Dionysius, Adamus, nostri Sanctius, Cornelius, & alii ex recentioribus Biblicè peritis. Egregium sanè fuit illud divinæ in Israeliticam Gentem dilectionis argumentum, quod idem Vates Isaia 43. 3. significat. *Dedi propitiationem tuam Egyptum, Æthiopiâ, & Saba pro te;* id est, pro te mihi retinendo, has Provincias, & regna nihili ducens quasi victimas piaculares obruli. LXX. vertunt; *dedi commutationem tuam; Vatablus, redemptionem animæ tuæ; Pagninus, pretium tuum.* Hoc factum, cum Sennacherib contra Solymos profectus deslitit ab incepto, his primùm Nationibus expoliatis contentus. Addit Propheta: *Ex quo honorabilis factus es in oculis meis, & gloriosus; ego dilexi te, & dabo homines pro te, & populos pro anima tua.* Mirè hic locus nostram non probat solum, sed etiam auget. Eximium quidem fuit hoc beneficium; at verò quantum nostrum comparatum? Illic impiorum hominum capitibus Gentem sibi charissimam redemit Deus; hic autem Filii sibi charissimi sanguine & vitâ impios homines redemit: *Dabit impios pro sepultura, & divitem pro morte sua*: aurea pro æreis, dicitur veteri proverbio ad inæqualem admodum permutacionem significandam: at hic divinæ aurum personæ, non solum pro ære permutatur, sed & pro vilissimo luto, pro hominibus obrutis flagitiorum cæno. His igitur postis,

Quid sit dabit impios pro sepultura &c.

Isai. 43. 3.

Impiorum nomine omnes impios, Divitum: voce Hispanos signatim intelligo.

1560 Serio utique arbitror, Impiorum nomine in eo Isaia loco, omnes impios à Christo emptos pretio sui sanguinis, & mortis, comprehendi, ut multi explicant: *divitem* verò populum sive divites impios, quorum specialis fit mentio, Hispaniensem Gentem esse, seu Hispanos impietate olim infames, & opibus semper illustres, autumamus; non ut Hispani rebus faveamus nostris, sed ut ea, quæ verba simpliciter offerunt, excipiamus. Probatur primò, quia hæc Isaia verba, ut credo, planè alludunt ad illa Psalm. 44. 13. *Filiæ Tyri in muneribus cultum tuum deprecabuntur, omnes divites plebis;* quæ supra de summa pietate explicavimus, qua Hispani Christum & Deiparam ab Apostolicis temporibus observarunt, & locupletarunt muneribus: Hispaniam enim *filiam Tyri* appellat, & Hispanos, *divites*. Nam quemadmodum, cum thuris & aromatum proventum audimus, Arabiam cogitamus; sic etiam cum *divites* in Davide, & Isaia, nos in Hispaniam illicò adducunt. Recole quæ in superioribus diximus de Hispaniensi opulentia, & divitiis. Psalmode igitur consonat Vates Isaia, dum *divites*, Hispanos nuncupat, & Christi imperio subji-cendos prædicat,

Psalm. 44. 13.

in

in pretium, seu commutationem Dominicae Passionis. Probatur secundò, quia Hispanâ Natione nulla alia sincerior, tenacior, & antiquior (gratius sint immortales Deo) in retinenda, propugnanda & spacianda Christi subjectione, usque ad exhausti sanguinis profusionem, & vitæ dispendium; nulla alia plures Martyrum legiones Catholicæ Ecclesiæ dedit: nulla ergo alia dici melius potest data Christo in pretium sanguinis ipsius. Et quidem singulari quadam prærogativa, qua specialiter dicitur redempta ab Isaia. Ut enim in emodatione textus notabamus; cum de aliquo generatim in sacra narratione contentio specialis fit mentio, favoris eximii, & singularis dignitatis id argumentum est, ut Marci 16. 7. *Dicite Discipulis ejus, & Petro: ad eum modum cum dixit Isaia, dabit impios pro sepultura, universali hac propositione omnes impios, Hispanos etiam, comprehendendo; sed specialis Hispanorum divitum favor fuit, quòd de illis adderet, & divitem, seu divites pro morte sua.* Quæ omnia luculentiora fient ex Isaia illustratione, quam mox subjicio.

Mors hic & sepultura idem sunt.

Dati Hispani homines Christo in remunerationem mortis.

Joan. 12. 20.

Hispani Christum ad huc in terris invocantes.

Grati pro Gentibus.

1561 *Dabit impios pro sepultura, & divites pro morte sua.* Scitè observat noiter Sanctius, mortem hic, & sepulturam diversa non esse; nam hæc duo sæpè in scriptura aut per synonymiam, aut per epexegetum conjungi solent. Signanter itaque Christo à Patre dandos in remunerationem, in pretium angustiarum, cruciarum immanissimorum, mortis atrocissimæ, & sepulturæ illorum cruciatuum terminis vates, Hispanos homines, vaticinatur Isaia. Extat in hujus rei illustrationem nobilissimum locus apud Joannem cap. 12. vers. 20. ubi cum Gentiles quidam ad Christum Dominum jam morti proximum, invensendum advenissent, Philippo, & Andrea internuntii usi; ipse præ oculis illos habens, in ea prorupit verba, *Veni hora, ut clarificetur Filius hominis. Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Sub triticeo grani metaphora, terræ dai, ibi mortui, atque inde abundè multiplicati, ostendit Dominus, magnam sibi gloriam ex sua morte, magnumque Gentilibus fructum accessurum. Porro Gentiles illos Christum invisentes, Hispanos fuisse, testatur Dexter ad Ann. Christi 35. cujus verba proximè antelapsa Sectione dedimus. Consonat Julianus Petri in Chronico ad Ann. 36. num. 6. & in Adversariis, nu. 427. *In Archivo S. Justæ Toletana erat, quòd multi Gentiles, qui venerant Jerosolymam orare ad S. Templum, erant Hispani; qui voluerunt videre, & alloqui Jesum, cupientes ut Gentilibus suæ terræ predicaret, maximè Centurione Hispano, qui interfuit passioni Domini, poscente.* Qui etiam addit rem scitu dignissimam: *Illis presentibus, dixit Dominus Petro, quòd Jacobus Zebedæi filius veniret in Hispaniam.* Neque obest, quòd in Exemplari Græco illi Gentiles appellentur *εθλωες*, id est, *Græci*: hoc enim nomen Scriptura sæpè non Gentem, sed Gentilem, sive clarior, non Nationem, sed Religionem notat Ethnicam, uti adductis exemplis observant nostri Salmeron Tom. 8. Tract. 55. ad hunc ipsum Joannis locum, Lorinus Act. 6. 1.

Maldonatus Matth. 15. 22. Quod pervidit Vulgatus Interpres, qui non *Græcos*, sed *quosdam Gentiles*, interpretatus est; consultò, ut eos non Judæos religione, sed superstitione Græcos esse doceret, eujuscumque essent Nationis; quam Hispanam fuisse, ex vetustis Hispanæ Ecclesiæ monumentis designarunt Dexter, & Julianus. Quid ni verò solidam hanc tam antiquæ, tam nobilis Christianitatis gloriam illustris Quinonum Hispanorum familia sibi vindicabit, ut majoribus suis tam præclarum adscribat factum? Constat tum ex Hispanorum Legionensium veteri traditione, tum ex antiquissimo instrumento, nobilem Hispanum-Quinonem proprii patrimonii Oppidum tribus millibus unciis vendidisse, ut redactâ pecuniâ Christum Dominum in Palæstina docentem auditum iret, ac visum. Quidni, inquam, hic fuerit, quem cum sociis Christum invisentibus laudat Joannes Evangelista loco citato? Meritò quidem tam illustri avo nobilissimè gloriantur Quinones, non minus, quam aut excellentissimorum Comitum Bonaventensium, aut Augusto Regum Catholicorum sanguine, quem jure jactant.

Quinonum Familia.

1562 Sed ut ad rem ipsam redeam, ex-pendo honorem illum, quo Dei Filius Hispanam Gentem id temporis, quo Passionem suam adornabat, humanissimè profecutus est: Hispanis itaque adstantibus, gravem in primis de sua ipsius morte ac de ingenti messe, ab uno illo Evangelico grano proventura sermonem Christus Dominus instituit: quasi nobilissimum propriæ passionis proventum conversionem Hispanorum exituram portenderet; quasi in illis Gentium cæterarum primitiis uberrimam Regionum reliquatam messem certò jam designaret. Annè verò exigua Hispanæ Gentis est gloria, quòd in Hispanorum illorum adventu, certò jam tantæ, ac tam Catholicæ futuræ Hispaniæ fidei præ-repto veluti pignore, dixerit Christus: *Veni hora, ut clarificetur Filius hominis?* Prævidebat nimirum, quantæ divinæ suæ gloriæ accessiones jam inde ab Hispanorum Christiana religione essent faciundæ. Neque opprimenda illa vox, qua Filio exposcenti v. 28. *Pater clarifica nomen tuum, annuit de cælo Pater clarè intonans: Et clarificavi, & iterum clarificabo,* significans, superioribus omnibus signis, prophetiis, & oraculis id se egisse, ut Filius Dei agnosceret, addens eadem se porrò aucturum, facturumque ut ejus gloria longè jam per passionem & Crucis mortem illustrior per orbem esset propaganda, cujus certissimum pignus esset Hispania ad sacros jam cælestis Regis pedes provoluta. Hujus enim conversionem, & eximiam pietatem tenaciter retentam, & longè latèque propagatam, futuram esse indicabat nobilissimum Dominicæ passionis proventum. Et quidem si Christi verba illa apud Joannem cum Isaia verbis componas, mirificè inter se consonant, & sibi mutuo splendorem conciliant. Quod enim Christus sub triticeo grani metaphora in terra demortui, & uberrimum fructum afferentis pronuntiavit, Isaia expressit illis verbis: *Generationem ejus quis enarrabit, quia abscissus est de terra viventium? Et dabit impios pro sepultura, & divites pro morte sua.* Ubi, *generatio*, pro gente sumitur, familia, & populo ex eadem stirpe propagato; pro

Clarificatus Christus Hispanorum conversione.

Joan. 12. 28.

Isai. 53.

nume-

numerosa fobole, quam moriens Jesus suscepurus erat.

S. Damal.

Christus de Cruce ad occasum spectabat, ad Hispaniam nempe.

Martinus Garzia

Hispanus Centurio Evangelicus agnoscit Christum in Cruce morientem. Dexter.

1563 Hinc Christus in Cruce constitutus versus Occasum spectabile dicitur a multis, Damasceno presertim lib. 4. de fide orthodoxa cap. 13. Dominus, cum in Cruce penderet, ad occasum prospiciebat, eoque nomine ita adoramus, ut eum obtineamus. Nimirum ad Orientem versi precabantur Christiani, ut & observat Tertullianus in Apologetico cap. 16. ut sic ipsi ad Christum Occiduas regiones spectantem converterentur. Quorum hanc? Christus e Cruce pendens, oculis ad Occasum spectabat, ut extensis brachijs Occidentalem maximè Hispaniæ regionem ad amplexus invitaret, & suo illo benignissimo Redemptoris aspectu aliqualem jam exinceps redemptionem festinus elargiretur Hispaniensibus populis. Sic piè admodum excogitabat Martinus Garzia Episcopus Barcinonensis in suo Concionum opere egregio, Serm. 40. de Acquisitione Civitatis Jerusalem, folio mihi 110. Christus pendens in Cruce habuit Asiam, que est pars Orientalis, post tergum, quia noluit partem Orientalem respicere, quia peccatum Adæ perpetratum fuit in Oriente. Item habuit Africam ad sinistram: Europam autem aliquam partem illius ad dexteram, scilicet Alemanniam, Ungariam &c. aliam vero partem, scilicet Hispaniam, habuit ante faciem suam: ex quo intuitu habuit aliqualem salvationem, sicut respiciens Petrum dedit ei salvationem. Quasi æternus Pater Filio e Cruce pendenti tempestivè daret in remunerationem, & pretium mortis, quam subibat, Hispanos homines speciali prærogativâ redemptos, ipsique addictissimos, quorum conversionem, & ardentissimam pietatem, quasi illicitum quoddam, charissimo Filio proponebat ad cruciatu adorandos, & mortem ipsam, externis illis Crucis angustiis confictato.

1564 His opportunè adjunxeris; Centurionem illum Evangelicum, à quo Dominus in Cruce existens verus Dei Filius agnitus est, & liberâ voce publicatus, Matth. 27. 54. Hispanum Baticum Malacitanum fuisse. De illo quippe sic scribit Dexter ad Ann. Christi 34. C. Oppius Centurio Hispanus credit Christo morientem in Cruce. Deinde ad eundem Annum: Floret per id tempus in Hispania C. Oppius Centurio Filius Cornelii pariter Centurionis, qui morientem Christum prædicat Jerosolymis Filium Dei inter fragores saxorum mutuo se collidentium, obducto tenebris die: ex Gentilibusque, à Christi morte, primus hic Hispanus (alii legunt Christianus) credit. Qui fuit Civis Romanus, baptizatusque à Beato Barnaba factus est tertius Mediolanensis Episcopus; vir quidem Apostolicus, qui Christi mortem, & eclipsim admirabilem primus omnium, Hispanis, genti suæ, cum audientium stupore refert. Porro, Malacitanum illum fuisse in Bæticiâ, idem testatur Dexter agens de Cajo Oppii Filio, Caji verò Capernaunensis nepote, ad Ann. 70. Per hæc tempora delatus jam in Asiam S. Joannes, cognomento Theologus, docebat Ephesi; unde scripsit ad Cajum Hispanum, Caji Centurionis Malacitani Filium, fratrem Demetrii hospitalis viri, cujus Pater sit Episcopus Mediolanensis. Itaque Malacitanum Caji pater erat C. Centurio Mediolanensis Episcopus, quem nuper filium dixerat

Centurionis alterius Capernaunensis. Familia igitur horum Oppia Malacitana erat, & quidem nobilis, uti declarat Oppii civilitas Romana. Lege eruditissimi Bivarii Commentarium III. ad Dextrum eo Anno Domini 34. ubi de Centurionibus Evangelicis disceptat. Ad rem igitur nostram,

1565 Nemo est, qui non miretur Hispani hujus Centurionis fidem, religionem, pietatem, Christum de Cruce pendulum agnoscens, prædicantis, inter tot cruciamenta, & convitia à Judæis in illum iactata. Unum audi Bernardum Serm. 28. in Cantica. Unde igitur advertit pulchritudinem Crucifixi, & quod is sit Filius Dei, qui cum iniquis reputatus est? Sic enim habes: Videns autem Centurio, qui ex adverso stabat, quia sic clamans expirasset, ait: Verè hic homo Filius Dei erat. Ergo ad vocem credidit, ex voce cognovit Filium Dei, & non ex facie. Erat enim fortasse ex ovibus ejus, de quibus ait: Oves meæ vocem meam audiunt; & cognosco oves meas, & cognoscunt me meæ. Auditus invenit quod non visus. Non autem credidit ex eo, quod videt, sed ex eo procul dubio, quod audit; quia fides ex auditu. Dignum quippe fuerat per superiores oculorum fenestras veritatem intrare ad animam. Hinc pulchrum illud Bedæ pronuntiatum, in una Centurionis fide fidem totius Evangelicæ Ecclesiæ designatam agnoscens. Merito per Centurionem fides Ecclesiæ designatur, quæ Dei Filium, tacente Synagoga, confirmat. En tibi, qua ratione ex intuitu, & voce Christi crucifixi Hispania nostra universa aliqualem & specialem, vel exinceps, in uno credente Bætico Centurione, habuerit redemptionem, & quidem præfinitam. En tibi futuræ Hispaniæ fidei, & religionis præreptum veluti pignus.

1566 Illa certè tam ardens Centurionis fides, tam ingens in Christum passum religio, quæ nulla in Ecclesia ex Gentilibus congregata potior & antiquior; præludium quoddam prævit eximie Hispanorum pietatis & munificentia in Hebdomada maximi jejunii majore, quam vocant sanctam, præsertim concelebranda in Dominicæ passionis memoriam. O quam solemnem cultu, & promiscuæ multitudinis concursu res divina peragitur! O quam augustus Templorum ornatus! in illis Mausolea eriguntur ad honorandum sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum (memoriale mortis Christi perenne) pulcherrimis statuis, imaginibus, historiis, emblematicis ad stuporem exornata, flammis ac luminibus illustrata millibus, monumenta vocamus, si ve Christi sepulchra gloriosissima, de quibus prædixisse meritò dixeris Isaiam c. 11. 10. In illa die radix Jesse, qui stat in signum populorum, ipsam Gentes deprecabuntur; & erit sepulchrum ejus gloriosum. Itur plenissimis ad templa viis, facta vi ad perumpendam multitudinem, & ad fluctus euntium, & redeuntium superandos. Longum hic esset referre alia immensæ pietatis edita passim signa. Agmina non præteream Confraternitatum publicis flagellationibus nudata sua terga cruentantium; lugubri pompâ, & Hispanâ magnificentia sacras & variâs Christi patientis, & Deiparæ compatiens imagines per celeberrimas vias deducuntium. Incedunt multi pedibus nudi, longo fune à cervicibus pendente, cum Cruce, & calvaria in manibus;

Hispani Centurionis fides commendatur. S. Bernard.

Bedæ

Eximia Hispanorum pietas, & munificentia in Christi passione concelebranda.

Isai. 11. 10.

manibus: multi item molem aliquam comportantes Crucis: multi humeris ferro oneratis. Quibus porro spectaculis incendium Hispanicæ pietatis erga Christum passum & ejus Genitricem compassam incredibili exardet vehementiâ, non absque gemitibus, ac piis suspiriis resonantibus, & morum mutatione mirabili, ut nihil ad summam pietatem videatur desiderari. Certè in hanc Hispanorum pietatem, & anniversarium sub Hebdomada sancta lectum, optimè cadit Zachariæ Vaticinium c. 12. 10. Et effundam super domum David, & super habitatores Jerusalem spiritum gratiæ, & precum; & aspicient ad me, quem confixerunt: & plangent eum plangenti quasi super unigenitum, & dolebunt super eum, ut doleri solet in morte primogeniti, &c. Vide nostros Cornelium, & Sanctium ibi, & Sierlogium in c. 1. Cant. vers. 12. in explan. mystica Sect. 2. numero 34. Nimirum Hispana Gens, utpote speciali quadam prærogativa à Christo redempta, & in compensationem Dominici cruoris, & mortis ei data, Redemptori gratulatur suo, tam eximie pietatis, vel ab uno Hispano Centurione, quasi hæreditario jure, acceptæ externis honoribus editis.

Zach. 12. 10.

Majolus.

Hispanorum insignia Crux vel ante Christi adventum.

1567 Non hinc abeam, quin egregia verba recitabam Simonis Majoli Astenis Episcopi Vulturnensis, Tom. 5. dierum canicularum Colloquio 5. ubi de Hispanis ita: Hispani insignia habent e celo demissa, Crucem nimirum Christi vexillum, stemma omnium pretiosissimum, &c. Quodque ad majorem Hispanorum sublimitatem facit, monstrari potest ex antiquis monumentis, crucem non tantum post Christi passionem, sed etiam ante Christum natum Hispaniæ fuisse insigne. Cum enim antiquitus apud Romanos in usu fuisset mutare imitarique insignia hostium, quos majori cum labore subjugassent, ad modum triumphi, Cesarque Augustus magnis laboribus, multoque fuso Romano sanguine, Cantabros Hispaniæ populos debellasset, eorum insignia sibi sumpsit, que in vexillis, clypeis, & omnibus signis bellorum ferebat; que signa à Cantabris Cantabria dicebantur, & vexilla laborum, quod labore partum est. Insigne autem hujus labari Cantabri erat Crux, qua Cantabri devicti ab Augusto utebantur, stemma genuinum, & proprium. Et eo signo usi sunt Imperatores Romani postea, ut constat ex Tertulliano in Apologetico cap. 6. qui liber tempore Severi Imperatoris scriptus extitit; ait enim: Sypara illa vexillorum & Cantabrorum stolæ Crucium sunt. Laudo diligentiam, noluisse nudas & incultas Cruces consecrare: Hæc ipse de bellis illis loquens, que in hastula transversa labaro alligata Crucem quodammodo veltare videbantur. Item Minutius Felix in Octavio: Ipsa signa, & Cantabra, & vexilla castrorum, quid aliud quam inauratæ Cruces sunt, & ornatæ? Hactenus Majolus; qui stemma omnium pretiosissimum, jam olim ante Christi adventum, Hispanis e celo demissum, Crucem nempe testatur: quasi Hispaniensis populi saluifero illo Redemptionis signo exinceps ad specialem designarentur Redemptionem.

Isai. 53. 9.

1568 Premo adhuc Isaiæ verba: Dabit impios pro sepultura, & divitem pro morte sua. Ex Hebræo vertas: Dabit cum impiis sepulchrum, vel sepulturam ejus; & cum divite in morte, vel mortibus ejus; aut, cum divite cruciatus, seu mortem ejus. Ubi, quemadmodum supra observavi, sepultura & mors diversa non sunt. Et hoc illud esse videretur, quod expressit Paulus ad Rom. 6. 4. Consepulsi sumus cum Christo per Baptismum in mortem. Id est, cum Christo in Baptismo quasi sepelitur, ut peccato moriamur, & novam vitam agamus: in mortem etiam ipsius baptizati sumus, quasi socii mortis & sepulturæ illius: sic dantur cum impiis & divitibus mors, & sepultura Christi. Jam ergo agnosce hic, quam hæc cadant signatum in Hispaniensis Ecclesiam. Agnosces indubiè, si in memoriam revoces linteum illud magnum Petro per visionem ostensum Act. 10. 11. Vidit cælum apertum, & descendens vas quoddam, velut linteum magnum, quatuor milibus submissum de cælo in terram. In quo erant omnia quadrupedia, & serpentina terræ, & volatilia cæli. Et facta est vox ad eum: Occide, & manduca. Ex Grægo pro linteum, legas linteum pannum. Cyrillus Alexand. lib. 14. de Adorat. in Spiritu, & 9. contra Julianum vertit sudarium, in quo putat fuisse illa animalia depicta. Hunc verò linteum, si ve sudarium, sintonem fuisse, seu figurasse, qua Dominicum cadaver dives ille Joseph ad sepulcrum religiosè involvere curavit, seriò arbitrantur sanctus Ambrosius lib. 10. in Lucam, & sanctus Hilarius Canone 33. in Matthæum. Bonum linteum (ait Ambros.) misit Joseph ille justus, & fortasse illud, quod Petrus vidit de cælo ad se missum, in quo erant genera quadrupedum, & ferarum, & volucrum, ad similitudinem Gentilium figurata. Hilarius autem ita persequitur: Hic munda sindone corpus involvit. Et quidem in hoc eodem linteo reperimus de cælo ad Petrum universorum animantium genera summissa. Ex quo fortè non superflue intelligitur sub linteum hujus nomine conspeli Christum Ecclesiam; quia tum in eo mundorum, atque immundorum animalium fuerit congesta diversitas. Certè communis est Parum existimatio, illis animalium symbolis portendi Gentium conversionem, quæ bellum cum essent moribus, rectè ferarum designantur imaginibus. Occidere, & manducare animalia illa jubetur Petrus, quia Gentiles, qui in Ecclesiæ corpus recipiuntur, morti infidelitatis debent; nec satis est mori, quin & in sepulchro humari necessum est, sudario involvi; ut sic Dominicæ mortis & sepulturæ participes fiant. His jam prænotatis, accedo ad rem nostram.

1569 Profectò illis animalium occidendorum & humandorum symbolis, speciatim portendi Gentilium Hispaniensium conversionem cælitus submissam & Deo perquam gloriosam, haud inidoneè reor. Argumento mihi est securus rei ipsius eventus. Nam, demisso linteo illo semel, iterum, & tertio, totiesque retracto, & ad singulas demissiones voce de cælo missa, & reddita à Petro; ad hunc accessit Cornelius Centurio Gentilis, ejusque cohors Gentilis quoque, qui divinitus accersiti sacro Baptismatis lavacro abluuntur effusio visibili specie Spiritu sancto, idque in linguis igneis (ut multi putant) super illos: unde apparuit Petro Spectri sibi objecti intelligentia. Etenim Cornelium Centurionem Hispanum fuisse ex Italica Civitate Hispaniæ non longè ab Hispali, auctor est Flavius Dexter ad Ann. Christi 40. Dexter.

Act. 10. 11.

Linteum Petro e celo ostensum ad Hispaniam e conversione spectabat signatum.

Matt. 27. 59.

S. Ambros.

Linteum illud erat sudarium, quod cadaver Christi involutum est. S. Hilarius.

Dexter.